Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio quinta et tricesima. — Exponit W. Nylander.

1. *Pyrenopsis triptococca* Nyl.

Thallus fusco-fuliginascens tenuis subfurfuraceo-scabridulus, diffractulus, indeterminatus, varians dispersus (globulis dispersis); apothecia obscura pallescentia, minutella (latit. 0,1 millim. vel vix majora), vix marginata; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,006—7 millim., epithecium subrufescens, paraphyses non bene discretae. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvescens.

Supra saxa granitosa littoris marini ad Porto (Newton).

Species est facie accedens ad *Pyrenopsin concordatulam*, bene autem mox distincta thallo diffractulo, superficie in humido statu subtilissime granuloso quasi e globulis areolas verrucosas tegentibus minimis (diam. fere 0,05 millim. vel minoribus). Thallus vero rite examinatus (crassit. vel altit. fere 0,2 millim. vel nonnihil tenuior) teretiusculus subfruticulosus (subtridivisus), stipatus; ex apicibus subglobosis in superficie verrucarum juxtapositis apparet, superne visus, semigloboso-granulatus; crassities stipitum minusculorum, quibus componitur thallus, circiter 0,05 millim. Humidus nonnihil rubricose rufescit. Gonimia diametris 0,005—7 millim. — Pertinet haec species ad subgenus proprium, quod dicere fas sit *Cladopsis* et ad quod pertinet etiam *Synalissa conferta* Born. (cfr. Nyl. Obs. Pyren. or. p. 44, 45), subgenus thallo fruticulescente differens a Pyrenopsi vera (vel *Eupyrenopsi*).

2. *Lecanora tetrasporella* Nyl.

Sat similis *L. tetrasporae*, sed sporis distincte minoribus (longit. 0,016—23 millim., crassit. 0,008—0,012 millim.). Thecae altit. 0,040—50 millim.

Supra muscos et inter *Cladoniam pyxidatam* in Finlandia, Oulanko (E. Lang).

Thallus albidus tenuissimus illiniens. Apothecia ferruginea biatorina convexiuscula (latit. circiter 0,4 millim.). Sporae 4nae, interdum 3nae. — In *L. tetraspora* sporae longit. 0,018—33 millim., crassit. 0,011—19 millim.; thecae altit. 0,095—0,105 millim.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0004-0

3. *Lecanora flavovirella* Nyl.

Thallus flavovirescens, tenuiter granulosus, dispersus; apothecia concoloria minutula (latit. 0,25 millim. vel minora), margine thallino subintegro cincta; sporae 16nae oblongae simplices, longit. 0,006—0,012 millim., crassit. 0,003—5 millim. Iodo thecae coerulescentes, dein sordide violacee lutescentes.

Supra lapides arenarios ad Heidelbergiam (v. Zwackh), socia *Lecideae fuscae* Flot.

Species insignis minuta, affinis *Lecanorae vitellinae*, sed tota flavovirella. Etiam sporas 12 et 20 vidi in certis thecis. Sporae in thecis inclusae facile K dissolvuntur.

4. *Lecanora quartzina* Nyl.

Thallus albidus tenuis applanatus areolato-rimosus, hypothallo obscure coerulescente passim visibili; apothecia nigra plana (latit. 0,3—0,5 millim.), margine thallino tenui integro cincta; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,008—0,012 millim., crassit. 0,004—7 millim., paraphyses mediocres apice clava obscurata. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein thecae violaceo-fulvescentes.

Supra saxa quartzosa in insula Mjölö ad Helsingfors (E. Lang, 1872); ad Porto in Lusitania (Newton).

Hanc jam 1872 distinxi. Facie accedit ad *Lecanoram prosechoidizam* sequentem, sed thallum habet albidum et K saltem leviter flavescentem. Affinior videtur *L. gangaleoidi*, at differt thallo tenui laevi, apotheciis, et sporis minoribus, etc. Epithecium obscurum vel coerulescenti-obscuratum, acido nitrico plus minusve rosello-violascens. Spermatia arcuata, longit. 0,018—25 millim., crassit. 0,0005 millim. Gonidia I coerulescentia.

5. *Lecanora prosechoidiza* Nyl.

Subspecies forsan sit *Lecanorae umbrinae*, accedens ad *L. prosechoidem* sed differens praesertim paraphysibus (cohaerescentibus) minus discretis. Thallus cinerascens tenuis areolato-diffractus. Apothecia nigricantia vel fusco-nigrescentia, saepe convexula, juniora margine thallino albicante integro cincta; iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein violascens vel subfulvescens (thecae praesertim tinctae). Spermatia arcuata, longit. 0,016—22 millim., crassit. 0,0005 millim.

Supra saxa maritima in insula Hogland (Brenner) et ad Helsingfors (Norrlin).

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0005-6

6. *Lecanora epiglypta* Norrl.

Subspecies sit *Lecanorae cinereae*,[1]) cui sat similis, etiam reactione thalli K conveniens, sed epithecium conferte corrugatulum vel ruguloso-insculptum.

Supra saxa granitosa ad Helsingfors (Norrlin).

Thallus obscure vel obscuriuscule cinereus. Spermatia recta, longit. 0,015—23 millim., crassit. 0,0005—6 millim.

7. *Lecidea injuncta* Nyl.

Thallus albidus areolato-rimosus, sat tenuis (crassit. circiter 0,2 millim.); apothecia nigra subinnata plana, acutiuscule marginata, conferta, subangulosa (latit. 0,4—0,9 millim.), intus obscura; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,004—6 millim., paraphyses non bene discretae, epithecium et perithecium coerulescenti-nigricantia, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein brunnescens.

Supra saxa calcarea prope cataractam Gavarnie in Pyrenaei. centralibus (Lamy).

Thallus K non mutatus, I medulla reagens. Accedit ad *L. homalodem* Nyl. in Flora 1875, p. 448, et *L. subplanam* antarcticam, sed illa jam differt sporis tenuioribus, haec sporis majoribus (longit. 0,009—0,015 millim., crassit. 0,005—6 millim.) Spermogonia in speciminulo viso non aderant.

8. *Lecidea Helsingforsiensis* Nyl.

Thallus cupreo-badius nitidulus areolatus, areolis contiguis planis margine (extus nigro) elevatiusculo; apothecia nigra opaca, plana vel convexiuscula, marginata (latit. 0,5—0,7 millim.), intus obscure cinerea; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,011—14 millim., crassit. 0,007—9 millim., paraphyses crassulae, epi-

---

[1]) *Lecanora cinerea* vulgo Linnaeo ut primo descriptori attribuitur, sed nomen hocce illi omnibusque aliis pariter auctoribus certe omnino est vagum nec hucusque sensum habuit praefinitum limitatumque nisi in mea conceptione, reactionibus et spermatiorum accuratissimo charactere diagnostico suffulta. Idem in nomina haud pauca cadit, quae basi methodi meae carent. Exemplo hic sumatur quod dicitur *Lecidea pungens* „Krb." Nomen hoc apud auctores descriptionibus adornatur, quae nihil distinctum, nihil genuinum designant; inde determinationes datae perquam vacillantes observantur. Vera distinctio *Lecideae pungentis* praebetur a charactere spermatiorum rectorum (eo pertinet etiam tute Zw. L. 605, etiamsi minime consentiat notis Koerberianis vel imitatorum, scholae vitiosae addictorum).

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0006-2

thecium coerulescenti-nigricans, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde vinose rubescens.

Ad Helsingforsiam frequens graniticola, latera monticulorum editiorum late obtegens (Norrlin).

Accedit ad *Lecideam athroocarpam* Ach.,[1]) sed facile distinguenda sporis minoribus, paraphysibus crassioribus (crassit. 0,002—3 millim.), articulatis, epithecio etc. Thallus iodo ∓ reagens, at CaCl nullam reactionem exhibens. Hypothecium varians obsolete rufescens.

9. *Lecidea rhypodiza* Nyl.

Thallus fusco-niger, tenuis vel tenuissimus, subgranulatus, indeterminatus, apothecia concoloria vel subnigra, plana, marginata (latit. 0,3—0,5 millim.); sporae 8nae incolores oblongae 1-septatae, longit. 0014—16 millim., crassit. 0005—6 millim. epithecium fuscum cum perithecio, paraphyses mediocres, apice clavato-incrassato fusco, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein mox vinose rubescens.

Supra saxa micaceo-schistosa in Scotia, Kildin, Craig—Calliach (Crombie).

Species facile ad stirpem *Lecideae lenticularis* ducta, sed forsan eo non pertinet. Spermogonia non visa in specimine examinato.

10. *Lecideae seducta* Nyl.

Thallus cinereus vel obscure cinereus, continuo-granulatus, tenuis, subdeterminatus, hypothallo vix distincto, apothecia nigra plana marginata (latit. circiter 0,5 millim.); sporae 8nae incolores ellipsoideae, longit. 0,016—20 millim., crassit. 0,007—9 millim., epithecium sordide coerulescens, hypothecium fuscum. Iodo gelatina hymenialis intensive coerulescens.

Supra saxa arenaria ad Heidelbergiam (von Zwackh).

Species nova videtur affinis *Lecideae eupetraeoidi*, thallo autem alio (continuo) et reactione K alia (nempe flavescente et demum obscure rufescente). I thalli reactio nulla. Paraphyses non bene discretae.

[1]) Apud Fr. fil. Lich. Scandin. p. 483 spermatia indicantur qualia non adsunt; confusio igitur ibi adhaeret huic nomini, sicut eidem scriptori saepe accidit, ubi aliquid suum proferre concupiscit.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0007-7

11. Arthonia baeastroidea Nyl.

Thallus albus tenuis subrugulosus indeterminatus; apothecia badio-pallescentia innata plana astroideo-difformia; sporae 8nae incolores oblongo-oviformes 5-septatae, longit. 0,014—17 millim., crassit. 0,006—7 millim. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvescens.

Corticola in Lusitania ad Porto (Newton).

Est species affinis *Arthoniae pruinosae* Ach., etiam reactione thalli CaCl + conveniens, sed apothecia figura fere sicut in *A. astroidea*, sed colore pallescente. Spermatia quoque sicut in *A. pruinosa*, scilicet arcuata (longit. circiter 0,012 millim., crassit. 0,0005 millim.). In *A. medusula* comparanda apothecia nigra et magis divisa, spermatia bacillaria recta (longit. 0,004—5 millim., crassit. 0,001 millim.) et thallus CaCl —.

Observationes.

Collema granuliforme Nyl. Prodr. Scand. p. 28 est revera *Phylliscum* vel satius subgenus ejusdem (*Pyrenopsidium*), texturis et apotheciis endocarpeis *Phyllisci*, sed spermogoniis *Pyrenopseos*. Sporae 8nae ellipsoideae (longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,004—6 millim.) in thecis apice attennuatis (formae earum ut in *Thelocarpis*).

Similiter *Pyrenopsis iocarpa* Nyl. ibid. p. 26 separanda est. Novum genus facile constituat: *Collemopsidium*, ad tribum *Homopsideorum* pertinens, apotheciis pyreniiformibus et paraphysibus gracilibus distinctum.

Nomine *Synalissa Kenmorensis* Holl. missum specimen, lectum ad Loch Tay, Braedalbane, super schistum micaceum littoris, videtur novum genus, quod dicatur *Lichiniza*. Thallus squamulas castaneo-fuscas difformes minutas adnatas sistit, in quibus prominent globuli vel papillae subglobosae obscuriores. Textura fere ut in *Lichina*, sed cellulosa confusior tenuior, et gonimia sordide lutescentia, in globulis thallinis radiatim per series continuas moniliformes disposita. Reactio scytoneminica adest. Thallus altit. circiter 0,5 millim.; globuli crassit. circiter 0,2 millm. Apothecia non visa nec spermogonia. — Forsan genus affine *Lichinae*.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0008-3

Forsan *Lecanora lusca* jungenda sit ut subspecies spermatiis paullo longioribus cum *L. subdepressa* Nyl.

Lecanora prosechoides * *melacarpoides* Nyl., thallo albido-coerulescente, apotheciis nigricantibus vel nigro-coerulescentibus. Epithecium coerulescens. Forsan propria species. Lecta juxta aquam in saxis littoris marini insulae Noirmoutier (Vendée) a cl. Viaud-Grand-Marais.

Lecidea prasiniza Nyl. optima datur in Zw. L. 592. Var. *prasinoleuca* Nyl. apotheciis livido-albis vel albidis in Zw. L. 591 et 593. — *L. micrococca* Krb. arcte affinis differt a *L. prasiniza* praesertim apotheciis aliter coloratis, dilute subluteo-testaceis, et magis convexis vel subglobosis.

Inter innumera „judicia certa" Friesiana inutile fere sit referre *Verrucariam gelatinosam* Nyl. Pyrenoc. p. 21, ibi definitam solum esse ex specimine ipsius Acharii descripto in L. U. p 283, Syn. p. 93, nullo tunc alio specimine viso. Ita *V. gelatinoa* Ach. et Nyl. est omnino una et eadem. Si deinde alia „gelatinosa" (Fr. fil.) descripta sit, etiamsi hoc fiat fide speciminis cujusdam Achariani, ut affirmatur, hocce posterius evenit et probaret tontummodo, „specimina originalia" diversa duas sistere species, quod apud auctores frequenter contigit, at non impedit quominus Friesianam „gelatinosam" dicere oporteat *Verrucariam confusam* Nyl., tamquam antea monui (cf. Stzb. Lich. hyperb. p. 54).

Verrucaria fartilis dicatur prope Cauterets in Pyrenaeis centralibus lecta (a cl. Lamy) super saxa calcarea, vix differens a *V. subviridicante* Nyl. in Flora 1877, p. 566, nisi praesertim sporis majoribus. Thallus albidus tenuis rugulosus; apothecia in verrucis thallinis (prominentiis convexis latit. 1 millim. vel nonnihil minoribus) inclusa, pyrenio subdimidiatim nigro obducto et non nisi ostiolo denudato; sporae 8nae incolores ellipsoideae murali-divisae, longit. 0,065—88 millim., crassit. 0,038—48 millim. — Addatur quod *V. subviridicans* solum statu recenti nonnihil virescit, in sicco albidus evadit sicut *V. fartilis* et forsan ambae ad unam pertineant speciem, cujus *subviridicans* sisteret subspeciem (sporis longit. 0,046—70 millim., crassit. 0,024—30 millim.).

Observetur hac occassione, hypothallum in thallis squamulosis, squamulis substrato adpressis vel adnatis, sicut in *Lecanora fuscata*, *smaragdula* et analogis parum esse evolutum, numquam ambitum squamularum etiam maxime juvenilium

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0009-1

excedentem et quasi initialem tantummodo occurrere vixque nisi prothallinum. Atque quoad illam *L. fuscatam*, inde explicatur quomodo ea, quae sistit Lichenem enixe saxicolam, quoque occurrit, ut vidi in sylva Fontisbellaquea, e saxo transgressa super thallum *Parmeliae fuliginosae*, inserta instrataque in isidio hujus thallino. Nulla res satius ostendit indifferentiam substrati.

Praestantissimus Fourage, per duos annos in insula lichenosa Oya exponens integumentum calcareum *Astaci maritimi*, mihi fragmenta ejusdem submisit omnino cretaceo-alba, super quae observantur thalli juveniles crustacei hypothalli olivaceo-nigrescentis plagulis adpressis ambituque obsolete subplumosis consistentes et super has plagulas formata granula thallina abunde gonidiosa. Simul observandum, nullas cellulas protococcoideas super testam astacinam eleganter laevem et purissime albam exploratione attentissima conspici, nihil gonidiis simile vel subsimile, atque certe ibi facillime perviderentur, si eorum quidem vestigia adessent. Semper quoque, re rite examinata, statui, nullibi gonidia aut gonimia libera occurrere et nullibi vitam libere in natura agere; gonidia non existunt nisi intra thallos et in cellulis thallinis oriuntur sicut explicavi[1]). Nemo gonidia alibi vigentia quam in thallis et numquam extra eosdem conspexit.

Parisiis, die 24 mensis Novembris, 1880.

Einige Beobachtungen
über den Einfluss der Praeparationsmethode auf die Bewegungen des Protoplasma der Pflanzenzellen.

Von Dr. C. Dehnecke.

Frank[2]) entdeckte zuerst an einigen Wasserpflanzen (*Sagittaria*, *Vallisneria*, *Elodea*), dass die Art der Praeparation, d. h. das Herauslösen von Zellen aus dem natürlichen Gewebeverband

---

[1]) De microgonidismo vel Bayrhoffero-Minksianismo jam in Flora 1879, p. 206, indicavi, illud inter fabulas maxime absonas adscribendum esse, quales nostro tempore haud pauci in scientiam intrudere enituntur. Nihil tale in natura obvenit. — Neque opinio Domini Almquist, praesentia diversorum gonidiorum in eodem Lichene suffulta, ullius haberi potest momenti, nam evidenter confusio in mente auctoris orta est e thallis infimi ordinis mixtim crescentibus et confusis; mala exempla a recta observatione deduxerunt.

[2]) Pringsheims Jahrbücher. B. VIII. 1872, pag. 220.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03646-0010-3

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1881

Band/Volume: 64

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 2-8